TACITUS QUOMODO IMPERATORIS CLAUDII DE IURE HONORUM ORATIONEM INVERTERIT

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

AB

AMPLISSIMO PHILOSOPHORUM ORDINE
ACADEMIAE ALBERTO-LUDOVICIANAE
FRIBURGENSIS

RITE IMPETRANDOS SCRIPSIT

ALBERTUS HERTLE

ULMENSIS

FRIBURGI BRISIGAVORUM
EX OFFICINA TYPOGRAPHICA CARITATIS
1912

De probanda dissertatione ad ordinem philosophorum rettulit
Bernhardus Schmidt.

Examen rigorosum habitum est Kal. Mart. anni MCMXI.

JOSEPHO HERMANNO SCHMALZ

S.

Conspectus argumenti.

Cap. I.

De universa veterum historicorum componendi ratione.

Diversissima est in historia conscribenda veterum scriptorum ratio ab eorum qui nunc sunt, quippe qui ad ea quae gesta sunt, certis lineis circumscribenda quibus auctoribus testibusque in unaquaque re uti liceat, omnium primum examinandum atque constituendum esse censeant. In enarrandis vero rebus ipsis id potissimum spectant, ut, quomodo singula inter se cohaereant atque conexa sint, plane cognoscatur perspiciaturque, quae in rerum varietate summa sit lex, ita ut nostrorum scribendi ratio commentatio magis rerum sit quam descriptio. Atque si quando accidit, ut eos, qui in rebus gerendis versati sunt, loquentes faciant, curare solent, ne tradant nisi quae re vera ab illis dicta sunt. Veterum contra scriptorum plerosque hac in re maxima licentia uti videmus. Orationes enim ad verbum reddere nec debuit historicus antiquus neque voluit. Atque ne potuit quidem plerumque; nam cum paucissimi oratorum, qui apud rerum scriptores loquuntur, aliquid litteris mandavissent, ne omnes quidem, priusquam ad dicendum prodirent, domi, quae essent dicturi, litteris consignassent, neque vero fuissent, qui orationes celeri statim calamo exciperent, saepe nihil aliud scire poterant historici antiqui nisi orationem occasione ali-

qua data esse habitam. Inde fiebat, ut rarissime ipsam scriptam orationem in manibus haberent, sed plerumque unicum eorum auxilium positum erat in memoria audientium, quae, quamvis firma et capax, tamen ad orationum omnia verba et sententias accuratissime complectendas vix esset idonea.

Sed ut scriptor quibus verbis habitae essent orationes, eisdem reddere potuerit, tamen ne voluit quidem nec debuit adversante et vetante acri pulchri decorique sensu atque tota ratione historica. Artis enim in conscribendis rebus gestis leges postulabant, ut quodvis opus historicum unum esset et simplex et unum idemque in omnibus partibus prae se ferret ipsius scriptoris ingenium. Quod postulatum vehementer violasset rerum scriptor, si non solum summas sententias dicentium, sed totam prorsus rationem dicendi sermonisque differentiam religiose conservasset. Consentaneum est etiam orationes, quas historicus propter argumenti gravitatem relatu dignas ducebat, pessima saepe verborum compositione laborasse, ita ut, si immutatae receptae essent, opus artis plenum deformaturae fuissent omnemque compositionis concinnitatem aequabilitatemque sublaturae.

Quod vero ad ipsam rationem historicam attinet, in tradendis cum factis tum verbis id maxime scriptori spectandum erat, ut quae in eis vera, gravia, memoratu digna viderentur, investigaret atque retineret, contra quae falsa, fortuita, levia, quotidiana segregaret atque reiceret, ita ut in historia quasi in speculo pura et sincera rerum hominumque imago conspiceretur. Quod ut assequeretur, fieri non poterat, ut orationes re vera habitas operi suo intexeret. Nam haud dubie cum multa

in eis inerant, quae aut falsa essent aut minus rerum statum explicarent, tum multa non continebantur, quae maxime ad rem illustrandam accommodata essent. Quare et multa omittere debebant rerum scriptores antiqui, quae vere dicta erant, et multa addere a dicentibus praetermissa. Quae cum ita essent, vel tum orationes a se ipsis excogitatas conformatasque inserebant, cum oratio genuina eis praesto erat. Aliud nimirum erat consilium ipsorum oratorum, aliud historicorum.

Plerumque rerum scriptor etiam ipse verbis: *in hunc fere modum exorsus est; huiusce modi orationem coepit; ita orditur* addito aliquotiens vocabulo *ferme*[1] non integra se verba redditurum esse satis significat[2].

Quae adhuc tractavimus si iam exemplis firmare studemus, optime exordiamur a *Thucydide,* qui ipse nobis idoneam dedit tamquam ansam, qua recte de vera eius orationum ratione iudicemus, quamquam etiam sermonis concinnitatem sibi curae fuisse dicere omisit. Haec enim exponit loco illo notissimo I, 22: „*Καὶ ὅσα μὲν λόγῳ εἶπον ἕκαστοι ἢ μέλλοντες πολεμήσειν ἢ ἐν αὐτῷ ἤδη ὄντες, χαλεπὸν τὴν ἀκρίβειαν αὐτὴν τῶν λεχθέντων διαμνημονεῦσαι ἦν ἐμοί τε ὧν αὐτὸς ἤκουσα καὶ τοῖς ἄλλοθέν ποθεν ἐμοὶ ἀπαγγέλλουσιν· ὡς δ᾽ ἂν ἐδόκουν ἐμοὶ ἕκαστοι περὶ τῶν ἀεὶ παρόντων τὰ δέοντα μάλιστ᾽ εἰπεῖν, ἐχομένῳ ὅτι ἐγγύτατα τῆς ξυμπάσης γνώμης τῶν ἀληθῶς λεχθέντων οὕτως εἴρηται.*“ Tum pergit:

[1] Inveniuntur talia apud Tacitum, veluti Ann. II, 38; IV, 34; XIV, 55.

[2] Immutatas orationes nullas inseruit antiquus historicus nisi perpaucas easque brevissimas. Cf. Tac., Ann. XIV, 59, XV, 63, 67; Hist. III, 39.

„*τὰ δ᾽ ἔργα τῶν πραχθέντων ἐν τῷ πολέμῳ οὐκ ἐκ τοῦ παρατυχόντος πυνθανόμενος ἠξίωσα γράφειν οὐδ᾽ ὡς ἐμοὶ ἐδόκει, ἀλλ᾽ οἷς τε αὐτὸς παρῆν καὶ περὶ τῶν ἄλλων ὅσον δυνατὸν ἀκριβείᾳ περὶ ἑκάστου ἐπεξελθών.*“

Opponuntur hoc loco *ὅσα μὲν λόγῳ εἶπον* atque *τὰ δ᾽ ἔργα τῶν πραχθέντων*; iam inde sequitur, ut historici munus a scriptore sic intellegatur, ut et res ipsas quam maxima diligentia perquirat dicendoque repraesentet et in orationibus conscribendis certa aliqua ratione utatur neque magis rerum descriptio quam orationum inventio a se requiratur. Rationem autem in orationibus componendis initam, qua, quomodo quisque de unaquaque re ea quae maxime idonea essent, dixisse sibi videretur, sic eum dicentem fecisset, ita tamen ut oratio eius ad orationis vere habitae tenorem quam proxime accederet, ea de causa assumptam a se esse docet scriptor, quod, quae singuli aut rem gesturi aut iam gerentes dixissent, memoria retinere et sibi ipsi difficile fuisset et eis, qui undecumque sibi nuntiavissent[1].

E posterioribus scriptoribus *Xenophontem* hunc modum componendarum orationum in libris quidem historicis secutum esse quis est, qui neget? Ceteri vero historici Graeci, in eis *Theopompus, Ephorus* al., quamvis cum prioribus consentire aut animum induxerint aut id simulaverint, magis magisque tamen eo inclinant, ut in orationibus inserendis maximam admittant licentiam, ut artis rethoricae specimen dent[2].

---

[1] Quare plerumque utitur verbis: *ἔλεγεν, ἔλεξεν, ἔλεγον, ἔλεξαν τοιάδε.*

[2] Cf. Quint., Inst. orat. X, 1, 74: „Theopompus . . . ut in historia praedictis minor, ita oratori magis similis, ut qui, antequam est ad hoc opus sollicitatus, diu fuerit orator.“

Iam ut ad Romanos transeamus, *Sallustius,* ut in aliis permultis rebus, ita etiam in orationum inserendarum consuetudine Thucydidem stricte imitatus est, cum intextas orationes diligentissime ad animos moresque dicentium accommodaret. *Livium* autem, quippe qui antiquissimos quoque ita loquentes faciat, quasi arte rhetorica ipsius saeculo exculta imbuti fuerint, fidem hac in re parum curare nemo ignorat.

Quae adhuc adumbravimus, plena luce illustrantur, cum ad *Cornelium Tacitum* transimus. Is qualem eadem in re se praestiterit, e certo argumento planissime cognoscere possumus. Insigni enim fortunae favore anno p. Chr. n. MDXXVIII Lugduni in monte aedis St. Sebastiani titulus repertus est, tabula Lugdunensis quae dicitur, qua reliquiae continentur illius orationis, quam imperator Claudius anno p. Chr. n. XLVIII de supplendo senatu e primoribus Galliae comatae apud patres habuit. Qua quidem oratione cum ea, quam Tacitus, Ann. XI, 24 Claudium de eadem re in senatu habentem facit, collata in rationes antiquorum rerum scriptorum introspicere nobis licet atque explorare, quomodo historicus, quem diximus, in compositione orationum operibus suis intextarum vere habitis usus sit.

Cap. II.
De Claudii genuina oratione.

Accedentibus nobis ad ipsam rei investigationem primum verba facienda sunt et de genuina Claudii et de inversa apud Tacitum oratione, quaenam sint earum cum condiciones tum argumenta. His exactis comparatio, in qua totius dissertatiunculae quasi cardo invertitur, instituetur.


Ac primum quidem Claudii genuina oratio[1] hac condicione ad nos pervenit:

Inscriptio tabula aenea continetur, duabus columnis inscripta. Tabula ipsa plus sex pedes lata est[2] et sine dubio fuit quadrata scilicet forma, ut tertia fere pars superior perisse videatur. In medio fracta est ita, ut paucae litterae, quae ad priorem columnam pertinent, in altera appareant.

Primum edita est oratio, quantum quidem exquirere potuimus, anno MDLXXIII. a Guilelmo Paradino in opere, quod inscribitur: *Memoires de l'histoire de Lyon.* Carolus Zellius primus descriptae orationi Claudianae interpretationem addidit[3]. Descriptionem et imaginem litterarum primus, quantum scio, dedit Alphonse Boissieu, in opere suo: *Inscriptions antiques de Lyon*[4]. Nostra aetate Otto Hirschfeld in volumine XIII. corporis inscriptionum Latinarum sub numero 1668 inscriptionem denuo descriptam edidit. Ex hoc volumine C. G. Bruns recepit eam in opus suum de fontibus iuris Romani antiqui[5].

Quoniam oratio genuina ad interpretationem Taciteae orationis maximi momenti est, etiam editores huius rerum

[1] Inspicias velim imaginem, quae praesto est apud *A. Allmer:* Atlas des inscriptions etc. de Vienne en Dauphiné, Vienne 1875 — 1880 pl. 33, hunc in modum conformatum:



[2] Accurate 1,95 m.

[3] *Claudii imperatoris oratio super civitate Gallis danda* (Friburgi 1833) p. 7.

[4] Emissum est paulatim ab anno 1846—1854.

[5] Editio septima curata ab O. Gradenwitz, Tubingae 1909.

scriptoris eam typis exprimendam curaverunt. Vetustiorum Taciti editorum primus eam exhibet Lipsius Carolo Zellio teste[1]. Insecuti sunt Orellius, Haasius, Nipperdeius. Huiusce viri editione in scribenda nostra disputatione usi sumus[2] exceptis verbis col. II, v. 1 sq., ubi nunc in omnibus fere tabulae editionibus legimus: „Sane *novo m[ore]* divus Aug[ustus av]onc[ulus] meus et patruus Ti. Caesar . . . voluit", quod ego supplementum falsum esse iudico, cum tabula ipsa post *novo* punctum, quod singula verba seiungere solet, non ostendat. Quare mea sententia legendum est: . . . sane *novom [eg]*it divus Aug[ustus av]onculus meus; et patruus Ti. Caesar . . . voluit.

Quod ad scripturae genus et litterarum ductus attinet, Carolus Zell scribit[3] nihil adnotatum se repperisse, nisi quod punctum positum esset post singula verba, cum singulae paragraphi punctis non distinguerentur, sed post litteras quasdam, ut D. O. Q. non infra in pede litterae punctum poni, sed paulo superius ad medium fere litterarum insculptum conspici. Verum hoc plurimarum veterum inscriptionum esse proprium nunc quidem inter omnes constat. Certe autem mirandum est eas litteras, quas Claudium alphabeto Latino addidisse Suetonius in vita imperatoris[4] commemorat et Tacitus confirmat[5], in tabula prorsus non inveniri. Quod certo documento esse putamus titulum non Romae, sed Lugduni aut alio loco extra urbem insculptum esse.

Servata sunt solummodo unius tabulae fragmenta, sed quaeritur, num altera tabula quondam praeter servatam

[1] L. c. p. 9. [2] Editio sexta annalium curata a Georgio Andresen, Berolini 1908. [3] L. c. p. 7. [4] Cap. 41. [5] Ann. XI, 14.

exstiterit; et re vera inde, quod aetate Claudii per se oratio principis legis vim nondum habebat, qua de re statim agemus, fortasse colligere licet tabulam alteram, qua senatus consultum, quod Claudii orationem secutum esse Tacitus Ann. XI, 25 init. narrat, continebatur.

Nam si quaerimus, quod ad genus monumentorum publicorum tabula Claudiana pertineat, numeranda est in orationibus principum, h. e. ei monumentorum publicorum generi attribuenda est, quod iuris Romani publici et privati, quale fuit imperatorum aetate, magnam partem continet. Theodorus Mommsen in libro de iure publico Romanorum II, p. 898 sqq., docuit imperatores, etiamsi magistratu non fungerentur, per litteras ad senatum referendi iure usos esse. Relationes, quae orationis speciem prae se ferebant, aut ipsi imperatores, ut Claudius hac occasione, in senatu habebant, aut, quod plerumque fieri solebat, quaestores peculiares, qui principis *candidati* appellabantur, recitare iubebant[1]. In senatu tractabantur, sed legis vim non habebant nisi senatus consulto addito. In universum enim concedendum est senatum, quamvis saepe a primis Caesaribus vexatum, tamen diu libertatis fuisse praesidium. Cum autem paulatim auctoritas senatus magis magisque minueretur principumque potentia cresceret, orationes eorum etiam senatus consulto non accedente legis vim obtinuerunt, ita ut imperator nescio quis — quibus causis commotus Zellius Theodosium id sanxisse dicat[2], investigare non potui —, lege ediceret orationem principum solam pro

[1] Probabile est, quod scribit Mommsen l. c. p. 899: „In früherer Zeit haben die Kaiser dieses Verfahren wahrscheinlich nur dann angewandt, wenn sie im Senat nicht erschienen.“

[2] L. c. p. 10.

lege habendam esse. Temporibus liberae rei publicae, ubi benevolum de aliquo populo aut homine privato senatus consultum factum est, in aere insculptum ad eos mittebatur, quorum intererat. Saepe etiam ab his ipsis curabatur, ut documentum benevolentiae rei publicae Romanae aeternitati mandaretur. Idem accidebat postea orationibus principum[1]. Quae in aere inscriptae et in templis Caesarum collocatae gentes admonere solebant, quantopere imperator, penes quem esset summa orbis terrarum potestas, eis favisset. Hunc ad finem Claudii quoque orationem Lugduni, in urbe maxima et potentissima Galliae, collocatam esse suspicamur.

Quae autem fuerit occasio, qua usus imperator hanc orationem habuit, ex Tacito comperimus[2]. Alii obtinebant saluberrimum fore rei publicae Romanae divites Gallos in senatum legi, alii contra omni modo reiciendos esse a curia aliegenas censebant. Ea de re etiam domi apud principem magna contentio orta est; nam Tacitus scribit[3]: *His atque talibus haud permotus princeps et statim contra disseruit et vocato senatu ita exorsus est.* Iam subsequitur ipsa oratio, quam infra accuratius tractabimus.

Sed eius rei memoriam cum nemo praeter Tacitum nobis tradiderit, eo diligentius eius verba nobis examinanda sunt. Claudium Caesarem anno p. Chr. n. *XLVIII.* censura functum esse Tacitus docet hisce verbis[4]: *Laetaque haec in rem publicam munia multo gaudio censoris inibantur.* De eodem Claudii munere alter annalium locus exstat[5].

Videtur igitur res ita se habuisse: cum censoris esset senatum legere, Claudius quoque, studiosissimus

[1] Cf. Plin. Paneg. c. 75. [2] Ann. XI, 23 init.
[3] L. c. cap. 24. [4] Ann. XI, 25. [5] XII, 52.

ille antiquitatis aemulator, id fecit et nonnullos, ut ordinem exuerent, impulit, alios senatu movit. Quod cum audivissent primores Galliae comatae, qui, cum ius adipiscendorum in urbe honorum non haberent, opportunitate vacuas in curia sedes occupandi arrepta legatos Romam miserunt, qui, ut magistratibus fieri sibi liceret, a senatu peterent. In consistorio principis cum de postulatis Gallorum deliberaretur et nonnulli Gallos a curia esse arcendos probare conarentur, *imperator statim contra disseruit et vocato senatu* oratione, quae ad nos venit, Gallos adiuvit. Hac autem oratione quid assecutus sit Claudius, edocet nos Tacitus, Ann. XI, 25, his verbis: *orationem principis secuto patrum consulto, primi Aedui senatorum in urbe ius adepti sunt. Datum id foederi antiquo, et quia soli Gallorum fraternitatis nomen cum populo Romano usurpant.*

Quae adhuc disputavimus, viam muniant ad intellegendam ipsam Claudii orationem, cuius nunc argumentum et dispositionem partium uberius adumbremus.

De argumento orationis et de quibusdam partibus eius egerunt praeter Zellium R. Rodenwaldt[1], R. Schmidtmayer[2], W. Haker[3], F. Muenzer[4], G. Koerte[5], alii.

[1] In dissertatione sua: *De orationum Tacitearum fide historica* inscripta, Jenae 1875.

[2] In annalibus Austriacis XLI, 869 sqq.

[3] In commentariolo, qui inscribitur: *Claudii apud Tacitum Ann. XI, 24, oratio et una cum capite praecedente commentario critico et exegetico enarratur et cum oratione vere habita ita comparatur, ut quid inde de omni orationum Tracitearum indole colligatur eluceat,* Progr. Malchin 1903.

[4] Cf. Festschrift zu O. Hirschfelds 60. Geburtstag, Berlin 1903.

[5] Cf. Jahrbuch des deutschen archäologischen Instituts XII, 57 sqq.

Ad tractandam nunc hanc orationem accedenti valde dolendum est prooemium eius tabula mutilata perisse. In primo enim versu nihil superest nisi hoc: . . . *mae rerum no[straru]m sit u[tile]* . . .

Quam multa interierint, certo sciri non potest. Sed ex sequentibus orationis partibus quid in exordio dictum fuerit, satis probabiliter colligere licet. Rectissime sane atque praeceptis rhetoricis convenienter fecisset imperator, si statim in prooemio vel dixisset vel aliquo modo significasset, quonam oratio sua tenderet. Verum cum in fine demum orationis anxietate abiecta inepte se ipse admoneat, ut tandem propositum aperiat his verbis: *Tempus est iam . . . detegere te patribus conscriptis, quo tendat oratio tua,* mihi quidem dubium non est, quin in exordio nihil eius modi dixerit, sed potius universe exposuerit ius honorum etiam gentibus extra Italiam habitantibus impertiendum esse. Quae sententia etiam eis verbis confirmatur, quae mutilatum prooemium secuntur: *Equidem primam omnium illam cogitationem hominum, quam maxime primam occursuram mihi provideo, deprecor, ne quasi novam istam rem introduci exhorrescatis, sed illa potius cogitetis, quam multa in hac civitate novata sint, et quidem statim ab origine urbis nostrae in quod formas statusque res publica nostra diducta sit.* Idem etiam Rodenwaldtius l. c. p. 11, Schmidtmayerus p. 871, Hackerus p. 16 sentiunt. Contra ab his longe discedit Muenzerus, qui Schmidtmayeri imprimis opinionem impugnaturus ex verbis citatis et sequenti adhortatione: *detegere te iam patribus conscriptis, quo tendat oratio tua* colligi posse negat Claudium generatim loqui coepisse de provinciis iure honorum donandis neglecta Gallorum

petitione[1]. Sed claudicantem hanc Muenzeri opinionem cur sequamur non habemus. Namque non recte vir doctus ex Claudii verbis: *ne quasi novam istam rem introduci exhorrescatis*, colligit imperatorem praeposuisse orationi suae certam Gallorum postulationem. Quodsi Muenzerus ad sententiam suam firmandam etiam interpellationem istam infra sequentem adfert, quam non imperatori, sed senatoribus oratorem prolixum irridentibus attribuendam esse manifestum sit, ne id quidem probare possumus. Sed hac de re paulo post agemus.

Procedente oratione ne exhorrescant patres rei novitatem, enumerat Claudius omnes fere rei publicae vicissitudines formarum.

Cum plurimum nostra interesse debeat, quid Claudius, homo doctissimus et qui fontibus uti potuerit, quos ad nostram aetatem non pervenisse dolemus, de regum Romanorum temporibus exponat, singula pluribus verbis exquirere nobis liceat. Et primum de Demarato Corinthio quid rerum antiquarum scriptores indicaverint, videamus. Claudius in oratione sua dicit col. I, v. 11 sqq.: *ut Anco Marcio Priscus Tarquinius* scil. successerit. *Is propter temeratum sanguinem, quod patre Demaratho C[o]rinthio natus erat et Tarquiniensi matre generosa, sed inopi, ut quae tali marito necesse habuerit succumbere, cum domi repelleretur a gerendis honoribus, postquam Romam migravit, regnum adeptus est.* Demaratum Corinthium fuisse omnes fere scriptores tradunt[2]. Expulsus cur in Etruriam potissimum migraverit, Dionysius Halicarnassensis paucis verbis narrat[3]. Demarati

[1] L. c. p. 36 adnot. 1.

[2] Cf. Strabo lib. VIII, 6. 20. [3] A.R. III, 47.

filio opibus multum valenti et enixe operam danti, ut sibi rem publicam capessere liceret, tamen, cum temerato sanguine i. e. alienus esset, id ut assequeretur, non contigit. Tum postquam comperit Romanos non solum alienos in rem publicam accipere, sed etiam cives facere, Romam migrare omniaque sua secum auferre animum induxit. In itinere prodigio quodam spes ei illata est se Romae, quo migraret, regnum adepturum esse. Ab Anco Marcio, qui tum Romae rex erat, benigne receptus[1] et civitate donatus brevi amicitiam illius sibi conciliavit, praesertim cum opibus suis eum magnopere adiuvaret[2].

In versu tertio decimo prioris columnae de Tarquinii Prisci ortu legimus: *Tarquiniensi matre generosa, sed inopi, ut quae tali marito necesse habuerit succumbere.* Tarquinii Prisci matrem generosae stirpis fuisse Dionysius quoque Halicarnassensis prodit his verbis[3]: *Καὶ γυναῖκα ἐπιφανῆ κατὰ γένος ἄγεται* (scil. *Δημάρατος Ταρκυνίου πατήρ*). Eam autem inopia coactam viro peregrino nupsisse nemo nisi Claudius narrat videturque mera imperatoris coniectura esse, quod ex addito enuntiato relativo (ut quae etc.) cum Nipperdeio colligere licet.

Deinde v. 16 sq. Claudius inter auctores discrepare dicit, utrum Tarquinius Superbus Prisci filius an nepos fuerit. Certe annalium scriptores omnes excepto Pisone Tarquinium Superbum filium Prisci fuisse putaverunt, contra Piso et qui illum secutus est Dionysius Halicarnassensis nepotem[4].

---

[1] Cf. Dio Cass. fr. 9, edit. Boissevain.

[2] Vid. Dion. Hal. III, 49; Liv. I, 34. [3] III, c. 46.

[4] Cf. hac de re O. Müller, Etrusker I, 402.

Eodem versu Claudius pergit: *Servius Tullius, si nostros sequimur, captiva natus Ocresia, si Tuscos, Caeli quondam Vivennae sodalis fidelissimus.* De Servii Tullii natu iterum Dionysius Halicarnassensis certiores nos facit IV, 1—2. Alii autem memoriae tradiderunt Ocrisiam, servam Tanaquilis, cum Lari immolaret, phallum ex foci flammis eminentem vidisse. Statim eam regem de ea re edocuisse, qui Tanaquilem uxorem consuluisset, quid faciendum putaret et iussu Tanaquilis Ocrisiam ornatam, ut mos erat sponsarum solam in domo mansisse, in qua prodigium vidisset. Gravidam factam esse sive ex Vulcano sive ex Lare et Servium peperisse[1]. Tuscis annalibus narratum esse Claudius monet Servium Tullium comitem Caelii Vivennae fuisse. Quis autem Caelius Vivenna fuerit, Varro narrat his verbis[2]: *In Suburanae regionis parte princeps est Caelius mons a Caele[3] Vibenna, Tusco duce nobili, qui cum sua manu dicitur Romulo venisse auxilio contra Tatium regem.* Similia tradit Dionysius Halicarnassensis[4]. Sunt etiam, qui Caelium Tarquinio Prisco auxilio venisse narrent, ut Tacitus, Ann. IV, 65. Quibus ex locis planissime intellegi potest Caelium Vivennam ducem fortissimum fuisse, qui sua manu modo ipse bellum gereret, modo alios in bellis gerendis adiuvaret.

Claudius in oratione sua postquam commemoravit regibus expulsis regnum cum consulatu esse commutatum, pergit v. 28: *Quid nunc commemorem dictaturae*

[1] Cf. Ovid., Fast. VI, 627—636.

[2] De linqua Latina V, 846.

[3] Nomen ducis Etrusci varie scribitur modo Caelius, modo Caeles, Vivenna, Vibenna Vibennus.

[4] II, 36.

hoc ipso consulari imperium valentius repertum apud maiores nostros, quo in asperioribus bellis aut in civili motu difficiliore uterentur? Cum hoc loco prorsus congruit Cicero[1], qui tradit dictatorem dici *quando duellum gravius gravioresve discordiae escunt.*

V. 35 praebet *qui seni et saepe octoni crearentur* (scil. tribuni militum). Mihi dubium non est, quin Claudius et Dionysius Halicarnassensis in numero tribunorum consulari potestate definiendo ex eisdem hauserint fontibus. Nam et hic narrat Appium Claudium, primum legis auctorem, senos vel octonos creandos proposuisse[2]. Ceterum de numero tribunorum apud veteres scriptores magnam discrepantiam invenimus.

Quid autem sibi volunt verba v. 39 *prolati imperii ultra Oceanum?* His verbis imperator Claudius significat se imperio Romano Britanniam adiecisse. Claudium enim Britanniam expugnasse eaque re terminos urbis ipsius propagasse etiam lapis Claudiani aevi testatur[3], cuius inscriptionem adiungam: TI. CLAVDIVS DRVSI F. CAISAR AVG. GERMANICVS PONT. MAX. TRIB. POT. VIIII. IMP. XVI. COS. IIII. CENSOR P. P. AVCTIS POPVLI ROMANI FINIBVS POMERIVM AMPLIAℲIT. TERMINAℲITQ.

In fine denique primae columnae legimus: *Civitatem*... Partem orationis hac voce a Claudio incohatam delectam esse quamquam magnopere dolemus, tamen ex iis paragraphis, quae in secunda tabulae columna ad nos venerunt, colligere nobis licet imperatorem eo loco de propagatione civitatis Romanae locutum esse. Iam cum nemo alius ex veteribus scriptoribus quicquam de

[1] De leg. III, 3. 9. [2] XI, 56 et XI, 60.
[3] Corp. Inscr. Lat. VI, 1231.

ea re tradiderit, operae pretium erit obscuriorem hunc locum diligentius persequi.

Civitas Romana in duas partes divisa est, alteram privatam, alteram publicam. Ambas qui habebat, civis optimo iure erat, cui licebat suffragium ferre, petere magistratus, adversus magistratus excepto dictatore ad populum provocare, conubium facere et commercium. Qui autem cives optimo iure non erant, iis magistratus petere concessum non erat. Civis est, qui aut cive natus aut civitate donatus est. Regum autem temporibus rex alienos quoque in civitatem recepit, velut Tarquinium Priscum ab Anco Marcio civitate donatum esse supra vidimus. Regibus expulsis per plebiscitum alieni in civitatem recepti sunt, ut Attus Clausus, cui postea App. Claudio fuit Romae nomen[1]. Cum urbs, receptis alienis in eam et in civitatem, magna et potens facta esset, Romani gentes subactas, quamquam per earum vires et opes imperium in dies propagabant, severissime civitate arcebant, dum anno a. Chr. n. nonagesimo bellum sociale exortum est, quo et quidem iam anno primo belli lege Iulia Latinis et sociis, qui in fide permanserant, sequenti anno etiam omnibus Italiae gentibus praeter eas, quae ad Padum incolunt, lege Plautia Papiria civitatem dare coacti sunt. Tum Cispadanis eodem anno octogesimo nono et Transpadanis anno duodequinquagesimo civitate alteris a Pompeio Strabone, alteris a Caesare data Italia ad Alpes promota est. Iulium enim Caesarem in legendis senatoribus tantum afuisse, ut provinciales reiceret, ut in curiam plurimos, etiam indignos admitteret, Dio Cassius commemorat[2].

[1] Cf. Liv. II, 16, 4; Dion. Hal. V, 40.

[2] XLIII, 47; vide praeterea Suet. Caes. c. 76.

Imperatores Augustum, Tiberium, Gaium, Claudium multos et privatos et totos populos in civitatem recepisse scriptores saepius tradunt. Augustus ter legit senatum, cuius rei ipse est auctor monumento Ancyrano[1]. His in lectionibus eum nusquam reperimus solos Italicos recepisse, sed dignissimum quemque receptum esse consentaneum est. Et id ipsum Claudium ea parte orationis suae, qua dicit: . . . *sane novom [eg]it Divus Aug[ustus av]onc[ulus] . . . in hac curia esse voluit* significasse nobis persuasimus.

Deinde Claudius col. II, v. 5 quaerit, an non Italicus senator potior sit quam provincialis, quibus ex verbis et in Italia omnes qui civitatem Romanam haberent et in provinciis multos honorum iure usos esse colligere nobis licet. Sed haec provinciarum ratio haud dubie obscura est et habet incertam interpretationem, nam Tacitus ex Claudii oratione refert[2]: *Num paenitet Balbos ex Hispania nec minus insignes viros e Gallia Narbonensi transivisse?* Unde si, quo tempore Balbi in senatum Romanum recepti sunt, eodem Hispaniam iure honorum donatam esse concluderemus, certe magnopere falleremur. Hoc enim quomodo intellegendum sit, nos edocet ipse Claudius II, 9 sqq.: *Ornatissima ecce colonia valentissimaque Viennensium quam longo iam tempore senatores huic curiae confert! Ex qua colonia inter paucos equestris ordinis ornamentum, L. Vestinum, familiarissime diligo et hodieque in rebus meis detineo; cuius liberi fruantur quaeso primo sacerdotiorum gradu, post modo cum annis promoturi dignitatis suae incrementa. Ut dirum nomen latronis taceam, et odi illud palaestricum prodigium, quod ante in*

[1] Tab. II, v. 1. [2] Ann. XI, 24, 9—10.

domum consulatum intulit, quam colonia sua solidum civitatis Romanae beneficium consecuta est[1]. L. Vestinus idemne sit, cui viginti annis post Vespasianum curam Capitolii restituendi detulisse Tacitus narrat[2], mihi probabile videtur. L. Vestinum, equestris ordinis ornamentum, procuratorem Claudii fuisse manifestum est. Procuratores imprimis ex ordine equestri sumebantur. Huc spectant verba II, 12 *in rebus meis detineo.* Imperatorem Claudium hoc loco Vestinum una cum filiis tam immodice laudare mirum non est consideranti principem procuratorum suorum dignitatem et potentiam longe supra modum senatus consulto augeri iussisse[3]. Vestini liberi fruantur primo sacerdotiorum gradu. Qui sacerdotiorum gradus hoc loco intellegatur, non liquet.

II, v. 14 sq.: *Ut dirum nomen latronis taceam, et odi illud palaestricum prodigium.* Latronem et palaestricum prodigium, cuius nomen imperator silentio praetereundum esse ait, interpretes tabulae recte statuunt esse Valerium Asiaticum, cuius casum Tacitus Ann. XI, 1—3 narrat. Quem consulem fuisse anno quadragesimo sexto commemorat praeter Tacitum l. c. Dio Cassius[4]. Primum eum functum esse eo magistratu extremis annis Tiberii mihi veri simile videtur. Anno enim quadragesimo primo, cum Gaius necaretur consularis fuisse traditur a Dione LIX extr. (Xiph. 172, 22—31) et Joseph. Antiq. XIX, 159 et tanta auctoritate

[1] Quando aut a quibus Vienna deducta sit, nescimus, sed vetustissimam et maximae dignitatis eam fuisse etiam Tacitus Hist. I, 66 testatur. Cum haec colonia intra fines Galliae Narbonensis sita fuerit, eam senatores curiae Romanae contulisse mirum non est.

[2] Hist. IV, 53. [3] Cf. Tac. Ann. XII, 60.

[4] Cf. Dio Cass. LX, 27.

consularis, ut ipse imperium petere posse videretur[1]. Cum autem omnes Caligulae temporibus noti sint consules, eum primum consulatum non inisse nisi Tiberii annis extremis apparet, cum patria eius *solidum civitatis Romanae beneficium consecuta non esset.* Unde etiam elucet Viennenses ius honorum non prius quam Gai temporibus accepisse. Quomodo autem factum est, ut, quamvis reliqui Viennenses iure honorum carerent, tamen Valerius Asiaticus in senatum veniret? Beneficio suspicor, Tiberii, de quo ipse Claudius dicit: *Patruus Tiberius Caesar omnem florem ubique coloniarum ac municipiorum, bonorum scilicet virorum et locupletium, in hac curia esse voluit.*

Tempus est iam, Tib. Caesar Germanice, detegere te patribus conscriptis, quo tendat oratio tua legimus v. 20 sq. Hunc locum qui inscriptionem Lugdunensem adhuc tractaverunt, varie interpretati sunt. Alii enim putant imperatorem, cum ipse, quam fusa oratio sua esset, sentiret, se ipsum admonuisse, ut senatoribus tandem diceret, quid oratio sua sibi vellet. Hi ut probent sententiam suam, imperatoris stultitiam afferunt, ut Nipperdeius in annalium editione supra commemorata p. 320 adnot. 20. Alii autem, in iis Zell, Mommsen, Bruns, Muenzer, haec verba non Claudii esse arbitrantur, sed senatorum acclamantium simulque oratorem prolixum irridentium afferentes tesimonium Suetonii, quo traditur, quantopere omnibus contemptui imperator fuerit[2]. Sane per se concedendum est facile fieri potuisse, ut senatores ad hanc taedii significationem impellerentur, cum Claudius gravitatem et auctoritatem imperatoriam tam male tueri soleret. Tamen viris doctis, quos modo

[1] Joseph. l. c. [2] Vit. Claud. 15.

memoravi, non assentior. Ista enim verba, si imperatori ipsi attribuuntur, plane quadrant ad Suetonii de Claudio scriptore testimonio: *Composuit magis inepte quam ineleganter*[1]. Deinde quanam ratione fieri poterat, ut senatorum verba imperatoris orationem interpellantia, in orationem ipsam pervenirent? Quam quidem difficultatem quo modo Mommsenius quique cum eo faciunt superaverint, non invenimus. Certe quicumque reliquiis tabulae Lugdunensis genuinam Claudii orationem contineri putant, eos ne illa quidem verba a Claudio abiudicare debere arbitramur. Quodsi interpellationem patrum esse statuimus, statuendum est etiam totam tabulae Lugdunensis orationem non ipsum Claudii exemplum accurate reddere. Quoniam autem omnes, qui tabulam explicaverunt, ea orationem principis ad verbum descriptam contineri consentiunt, interpellationem quoque ab ipso imperatore profectam esse non dubito contendere. De cognomine Germanici, quo hoc loco Claudius ipse se alloquitur, Suetonius ita nos edocet[2]: *Claudius natus est Iulio Antonio, Fabio Africano consulibus appellatusque Tiberius Claudius Drusus. Mox fratre maiore in Iuliam familiam adoptato Germanici cognomen assumpsit*[3]. In ipsa gente Claudia praeter imperatorem Claudium Germanicus dictus est huius filius, qui postea et Britannicus appellatus est; Germanicus enim titulus est honoribus tanquam cognomen aliquibus datus ex familia Caesarum, quorum primus fuit Nero Claudius Drusus, vulgo Drusus maior, cui senatus ob res maxima cum felicitate in Germania gestas Germanici cognomen decrevit[4].

[1] Vit. Claud. 41. [2] Vit. Claud. 2.
[3] Delego praeterea ad Tac., Ann. I, 31.
[4] Suet., Claud. 1; Ovid., Fast. I, 597; Trist. IV, 2, 39.

In versu 23 scripta videmus verba: *Tot ecce insignes iuvenes.* Hos insignes iuvenes fuisse Gallos, qui, ut ius honorum expeterent, Romam venerant, ex ipsa loci ratione perspicitur. Romani enim legatos senatui interesse permittebant. Quod autem Gallorum legati iuvenes dicuntur, id nihil offensionis habet, quando nomen iuvenis admodum late patet.

V. 24 praebet *quam paenitet Persicum.* Paulus Fabius Persicus, amicus Claudii consulatu functus est anno p. Chr. n. tricesimo quarto una cum L. Vitellio, patre imperatoris Vitellii (Tac., Ann. VI, 28). Allobrogicus unus ex maioribus eius, Q. Fabius Maximus, nominatus est, non quo Allobrox natu fuisset, sed quia Allobroges anno a. Chr. n. CXXI. vicerat[1]. Hinc apparet Claudium perquam absurde ea comparatione usum esse.

V. 26 sqq. sequuntur verba: *quid ultra desideratis, quam ut vobis digito demonstrem solum ipsum ultra fines provinciae Narbonensis iam vobis senatores mittere.* Quibus ex verbis colligere possumus nobiles totius provinciae Narbonensis iure honorum usos esse. Etiam ultra provinciam ius honorum pertinebat; nam Claudius v. 29 ita pergit: *quando ex Luguduno habere nos nostri ordinis viros non paenitet?* Is locus nobis documento est Lugdunenses, quo tempore Galliae comatae principes imperatorem adierunt, ius honorum iam habuisse. Sed praeter Lugdunenses nulla erat in Gallia comata civitas, in qua, qui erant cives Romani, iure honorum uterentur eo quidem tempore, quo Claudius hanc orationem habuit. Id plane inde perspicitur, quod imperator propagati extra Narbonensem iuris honorum hoc unum exemplum adfert. Quando autem Lugdunum

[1] Cf. Flor. III, 2; Caes., Bell. Gall. I, 45.

ius honorum acceperat? Factum id esse temporibus Caligulae, cum ille ex bello Britannico reversus in Gallia diutius versaretur veri simillimum est. De senatoribus autem, quos Lugdunum curiae Romanae Claudii aetate vel iam priore tempore miserat, frustra adhuc rerum scriptores evolvi. Sed Zell[1] an recte suspicatus sit principem hoc loco neminem alium nisi se ipsum significasse utpote Lugduni natum, vehementer dubito.

V. 35: *Illi patri meo Druso Germaniam subigenti tutam quiete sua securamque a tergo pacem praestiterunt, et quidem cum ab census novo tum opere et inadsueto Gallis ad bellum avocatus est.* Drusus, imperatoris Claudii pater, anno a. Chr. n. duodecimo per Gallias egit censum. Quo in opere ancipiti et a Gallis censum detractantibus et a Sugambris aliisque populis Germanis Gallorum vicinis conflictatus est. Sed facile ei contigit, ut seditionem componeret. Breviter haec significantur in epitome libri CXXXVII historiarum Livii: *Civitates Germaniae cis Rhenum et trans Rhenum positae oppugnantur a Druso; et tumultus, qui ob censum exortus in Gallia erat, compositus, ara Caesari ad confluentem Araris et Rhodani dedicata*[2]. Quam autem ob causam census tum Gallis novum opus et inadsuetum nominatur? Quamquam ex Suetonio iam Caesarem Gallis tributum in universum HS quadringenties imposuisse comperimus[3], tamen Augustum demum censum singulorum capitum anno a. Chr. n. vicessimo septimo instituisse complures produnt rerum scriptores[4]. Iam cum haec res apud Gallos nondum inveterata esset, sicut

[1] L. c. p. 35. [2] Cf. Dio Cass. LIV, 32 p. 762.
[3] Iul. Caes. c. 25.
[4] Imprimis Augustus ipse Mon. Ancyr. II, v. 2 sqq.

apud Romanos, iure Claudius dicere poterat censum anno a. Chr. n. XII. a Druso in Gallia repetitum illic novum et inadsuetum fuisse.

V.40. *Nimis magno experimento cognoscimus.* Quibus verbis haud dubie Claudius lustrum significat censore se conditum, de quo Tacitus, Ann. XI, 25, ita tradit: *Condiditque lustrum, quo censa sunt civium quinquagies novies centena octoginta quattuor milia septuaginta duo.*

Iam breviter quae exposuimus, complectamur. Claudii oratio genuina cum initio mutilata sit, unde imperator exordium duxerit, nescimus; quamquam principem videri de amplificando iure honorum et ultra Italiae fines propagando rettulisse supra iam exposuimus. Quam rem ne exhorrescant patres, exemplis ex historia petitis probat multa iam in civitate Romana novata esse et statim ab origine urbis. Regibus exempli causa non contigisse ait, ut regnum domesticis successoribus traderent. Alienos supervenisse, ut Numam Pompilium et Tarquinium Priscum et Servium Tullium. Postquam vero Tarquinius Superbus eiusque filius invisi esse coepissent, regnum cum consulatu esse commutatum. Sed ne in hoc quidem adquievisse Romanos. Deinceps dictaturam, tribunatum plebis, decemviratum, tribunatum militum instituta esse. Postremo vel plebem omnium magistratuum participem esse factam. Quae autem bella Romani gesserint et quomodo imperium in omnes partes orbis terrarum protulerint, se narraturum esse negat, ne expugnatione Britanniae gloriari videatur. Quae iam sequebantur, interciderunt. Sed ex eis paragraphis, quae in secunda tabulae columna ad nos venerunt, imperatorem ibi de civitatis Romanae per totam Italiam et Galliam Cisal-

pinam usque ad Alpes propagatione locutum esse recte concludere nobis videmur. Hanc vel similem sententiam certe ostendit vocabulum, quod in fine prioris columnae exstat *civitatem*, ostendunt etiam quae post lacunam sequuntur verba: . . . *sane novom [eg]it Divus Aug[ustus av]onc[ulus] meus, et patruus Ti. Caesar omnem florem ubique coloniarum ac municipiorum, bonorum scilicet virorum et locupletium, in hac curia esse voluit.* Cum, sicut modo exposui, de civitate exteris gentibus data loquatur, iam propius ad rem sibi propositam, ius honorum dico, accedit. Sed ne tum quidem, qua de re agi velit, aperte dicit. Augustum quidem et Tiberium profitetur in lectione senatus ita egisse, ut coloniarum et municipiorum ubique optimum quemque et locupletissimum reciperent, eamque rationem se quoque secuturum esse adseverat, quamvis Italicos senatores provincialibus praeponendos esse censeat. In proximis princeps a proposito valde declinans de colonia Vienna in Gallia Narbonensi sita et de duobus ex ea viris, L. Vestino et Valerio Asiatico, nonnulla adfert, alterum nominatim laudans, alterum tecte notans. Iam vero Claudius, ut supra exposui, satis inepte ipse se admonens tempus esse ait aperiendi patribus conscriptis, quid oratione sua velit. Adesse complures insignes iuvenes non minus dignos, qui in senatum recipiantur quam cives Lugdunenses. Profitetur tandem aliquando comatae Galliae iuris honorum ad id tempus expertis causam agi, et qua re ea provincia prae ceteris hoc beneficio digna videatur, ostendit. Gallos quidem divo Iulio decem annos restitisse, sed ex illo tempore per centum annos perpetuam sinceramque fidem atque obsequium erga Romanos servavisse. Druso patre in Germania bellum

gerente eos quamquam novo censu concitatos, tamen a Romanis non descivisse. Exeunte oratione Claudius censurae suae breviter mentionem facit.

Quicumque hanc orationem percucurrerit, facile concedet, puto, in ea deprehendi plane omnia, quae rerum scriptores Claudii indolis propria fuisse narrant [1], in primis antiquitatis Romanae studium, loquacitatem, anxietatem, fatuitatem. Atque quoniam genuina est, multo vividiorem imperatoris imaginem nobis repraesentat quam illa omnia, quae apud scriptores reperiuntur.

Oratio autem genuina ea quoque de causa nobis maximi momenti est, quia ex ea, qua ratione imperator Claudius in litteris versatus sit, cognoscere possumus. Omnium enim librorum, quos Claudium scripsisse Suetonius in vita eius narrat, nihil, quamquam enixe operam dabat, ut immortales eos praestaret, ad nos venit nisi haec tabula Lugdunensis et altera tabula, quae edictum Claudii de civitate Anaunorum continet, quo quae supra de imperatore exposuimus, etiam confirmantur [2]. Maximam vero gravitatem tabulae Lugdunensi attribuemus, quia ex ea clare elucet, quam rationem Tacitus in orationibus, quos operibus suis inclusit, componendis secutus sit, videlicet eam, quae omnino antiquis rerum scriptoribus placuit.

[1] Cf. Suet., Vit. Claud. 4, 15, 35, 39.

[2] Minoris momenti sunt reliquiae duarum orationum Claudii de decuriis iudicum et de accusatoribus coercendis e papyro Aegyptiaca. Cf. *Bruns,* Font. iur. Rom. ant. 53.

Cap. III.

Genuina oratio cum Tacitea comparatur.

Nunc quam orationem Tacitus, qui in componenda sua genuinam ante oculos habuisse infra demonstrabitur, imperatorem faciat habentem, videamus. Iam initio orationis Taciteae Claudius strictim, quid de causa, quae agebatur, sentiat, praemonet. Se eas rationes in administranda re publica sequi velle declarat, quas, qui Clausum simul in civitatem et urbem reciperent, secuti sint transferendo Romam, quod usquam egregium fuisset. Enumeratis gentibus, quae, ut Clausus, originis Sabinae, in civitatem Romanam receptae sunt, commemorat totam Italiam civitate data paulatim in nomen Romanum coaluisse. Deinde deductis per orbem terrarum legionibus et validissimis provincialium in eas receptis civitatem optimo iure in provincias quoque prolatam fessoque imperio subventum esse. Neque esse, cur Romanos eius rei paeniteat, praesertim cum posteri illorum hominum in patria amanda ipsis non sint inferiores. Lacedaemoniorum et Atheniensium civitates, quamvis potentes fuissent, perisse, propterea quod peregrinos sibi non adiunxissent. Laudat contra Romuli conditoris in republica constituenda sapientiam. Tum refutatis adversariorum argumentis rei publicae multum interesse demonstrat primores Galliae comatae utpote viros divitissimos potentissimosque in senatum adscisci. Denique efficaciter novae rei invidiam deprecatur exemplis ex historia petitis, omnia enim declarat aliquando nova fuisse. Ex levi hac ambarum orationum consideratione satis perspici arbitror, quantumvis iam prima specie altera ab altera recedat, tamen utriusque non

solum occasionem eandem, sed etiam argumentum magna ex parte idem esse. Quod omnes, qui monumentum Lugdunense tractaverunt, sine ulla dubitatione concedunt praeter unum Menestrier, qui in libro suo *Histoire civile ou consulaire de la ville de Lyon*[1] inscripto hanc tabulam aliam Claudii orationem continere contendit quam quae apud Tacitum legatur, orationem Taciteam habitam esse arbitratus, ut Aedui ius honorum adipiscerentur, cum orationem tabula Lugdunensi servatam Claudius in senatu habuisset alio tempore, quo Lugdunum de municipio ut colonia fieret suaderet[2]. Quam opinionem sane perversam refellere supersedeo id monuisse contentus secunda tabulae columna sub finem legi: *Sed destricte iam comatae Galliae causa agenda est*, quibus verbis efficitur imperatorem non solis Aeduis ius honorum oratione sua a senatu petivisse, sed omnibus Galliae primoribus.

Utraque oratione in universum adumbrata iam ad comparationem ipsam accedamus; qua in re ita agemus, ut primum dicendi genus, deinde dispositionem materiae, denique argumentum per singulas partes perscrutemur.

Quod ad Claudii genus dicendi attinet, eum in hac re ad T. Livii ductum se applicavisse iam per se probabile est, quando e Suetonii vita c. 41 compertum habemus illo hortante adulescentem historiam scribere adgressum esse. Atque iam alii animadverterunt complures inter Claudii orationem Lugdunensem et Canuleii apud Liv. IV, 3 orationem similitudines, ut non dubium esse videatur, quin imperator eam imitari voluerit. Sed exemplar suum non assecutus est. Dictio enim eius caret cum verborum facilitate tum perspicuitate sententiarum.

[1] Lyon 1696. [2] p. 107 sqq.

Antiquae verborum formae saepius usurpatae Claudii amorem antiquitatis ostendunt. Ornamenta oratoria non prorsus sprevit, ut exempli causa in priore parte orationis figuram praeteritionis saepius adhibet. Ne epanaphorae quidem figura prorsus deest. Huc pertinent ista: *Quid nunc commemorem . . . tribunos plebei? Quid a consulibus . . . reditum? Quid in [pl]uris . . . crearentur? Quid communicatos . . . sacerdotiorum quoque?* Porro interrogationem reliquiae orationis septiens praebent. In enuntiatis: . . . *ut Numa Romulo successerit . . ., ut Anco Marcio Priscus Tarquinius* et *divus Aug[ustus av]onc[ulus] meus et patruus Ti. Caesar* chiasmi figuram invenimus adhibitam. Vituperanda autem est enuntiatorum coniunctio minus apta. Quod totam per orationem ostendere longum est, cum ubique fere eius rei exempla reperiantur. Unum solummodo locum, qui mea quidem sententia imprimis memorabilis sit, adscribendum puto petitum ex ipso orationis exordio: *Equidem primam omnium illam cogitationem hominum, quam maxime primam occursuram mihi provideo, deprecor, ne quasi novam istam rem introduci exhorrescatis, sed illa potius cogitetis, quam multa in hac civitate novata sint, et quidem statim ab origine urbis nostrae, in quod formas statusque res publica nostra diducta sit.* Relego praeterea ad finem orationis: *Illi patri meo Druso Germaniam subigenti tutam quiete sua securamque a tergo pacem praestiterunt, et quidem cum ab census novo tum opere et inadsueto Gallis ad bellum avocatus esset. Quod opus quam arduum sit nobis, nunc cum maxime, quamvis nihil ultra, quam ut publice notae sint facultates nostrae, exquiratur, nimis magno experimento cognoscimus.* Sane Claudius, quamquam a puero exercitatio-

nibus dicendi scribendique atque litterarum studiis vacavit, tamen bonus orator fieri non potuit, quoniam sana mente et acri iudicio destitutus erat.

Taciti orationem fictam valde diversam a Claudiana esse nemo negabit; nam quaecumque in oratione genuina desiderantur, hic reperimus, sententiarum scilicet ordinem clarum et pressam quandam brevitatem. Claudii verbositas ab oratione Tacitea prorsus aliena est; habes Tacitei stili colorem. In verbis *At cum Senonibus pugnavimus* sqq. summus dicendi artifex cernitur, qui contradicendo et refellendo urget audientes eisque instat. Observes velim haec inter se contraria: *At cum Senonibus pugnavimus. — Capti a Gallis sumus* et *Scilicet Vulsci et Aequi numquam adversam nobis aciem instruxere. — Sed et Tuscis obsides dedimus et Samnitium iugum subiimus.* Figurae rhetoricae persaepe adhibentur, velut asyndeton, interrogatio, epanaphora. Sed longius de stilo orationis apud Tacitum exstantis disserere supersedeo, utpote quae cum toto eius genere scribendi in universum congruat. At unum eorum, quae Claudii indolis propria fuisse cum rerum scriptores tradunt, tum tabula Lugdunensis docet, Tacitus ex parte conservasse censendus est: per totam nimirum orationem suam principem antiquitatis bene peritum depinxit, ita tamen, ut eum doctrinam nisi in tempore ostentantem non faceret. Quod cum ita sit historicum apparet non id egisse, ut quae Claudii oratoris propria essent, quam accuratissime redderet, sed ut leviter tantummodo adumbraret, quatenus fieri posset sine detrimento universe propositi.

Iam paucis, qua ratione ambo materiam disposuerint, disseramus. Sententiarum ordo in tabula Lugdunensi ab-

surdus est, quoniam Claudius non statim ab initio, quo tendat oratio, significat, sed multis inepte et stulte dictis per ambages tandem, quid velit, detegit. De ea re rectissime Rodenwaldtius scribit: *Occasionem oblatam studiosissime arripit ad vetustissimae historiae scientiam suam in subtilissimis rebus spectatam, nulla fere propositi ratione habita, ostentandam, ut magis investigatorem antiquitatis apud amicos recitare quam principem orbis terrarum apud patres referre opinemur*[1]. Quodsi forte dispositio orationis omnino adgnoscenda est, eam in hasce tres partes dividere licet:

I. exordium (ab initio usque ad *diducta sit)*;

II. argumentatio ex historia sumpta (a *quondam reges* usque ad *non possit*);
  1. universe: de singulis in re publica mutationibus;
  2. singillatim: de civitate et iure honorum datis;

III. propositio: de civitate optimo iure Gallis danda (a *Tempus est iam* usque ad finem).

Conclusionem ad effectum valentem frustra quaerimus. Contra Tacitus orationem suam magna cum diligentia elaboratam secundum artis rhetoricae praecepta summo artificio disposuit. Habemus orationem generi deliberativo adiudicandam. Materiam autem ita dispositam invenimus, ut rhetores docebant:

I. exordium (ab initio usque ad *egregium fuerit*);

II. argumentatio (a *Neque enim* usque ad *factitatum est)*;

III. refutatio (ab *At cum Senonibus* usque ad *separati habeant)*;

IV. conclusio (ab *omnia* usque ad finem).

[1] p. 11 extr.

Sententiae sunt breves, acutae, graves; nulla alieno loco posita est; ut aliae alias sequuntur, ita confirmant propositum. Omnes eo spectant, ut demonstretur oratoris consilium saluberrimum rei publicae et Gallos civitate donandos esse. Perbene scriptor a levioribus ad graviora progreditur. Iam in exordio manifeste detegit, quid velit; argumentationem ad persuadendum accommodatam sequitur refutatio adversariorum. Claudius vero, praeterquam quod nonnullas res ad propositum non pertinentes in orationem suam intulit, singulas refutationes minus apte singulis orationis partibus iniungit, ut in ipso initio: *Equidem . . . diducta sit* et in fine potissimum alterius columnae: . . . *in qua si quis . . . cognoscimus.*

Iterum complectamur, quae adhuc disputando effecisse videmur. Taciti orationem a Claudiana admodum differre intelleximus. Nam, ut Rodenwaldtii verbis utar [1], *elocutionis quidem genus videmus funditus eversum et summa cum licentia transformatum.* Tacitus in componenda sua oratione artis rhetoricae peritissimum se praestitit, cum Claudii oratio inepta et absurda omnino eis convenit, quae veteres de imperatore testantur, inter quos Suetonius ita scripsit: *Sermonis vero rerumque tantam saepe neglegentiam ostendit, ut nec quis, nec inter quos, quove tempore ac loco verba faceret, scire aut cogitare existimaretur* [2]. Optime quoque Carolus Zell orationem genuinam notavit his verbis: *Iam eorum omnium quae Claudianae indolis propria esse rerum scriptores tradunt, insignia documenta in hac ipsa oratione deprehendimus. Doctum ibi se praebet et antiquarum rerum curiose peritum, sed abutitur eruditione et alieno loco eam iactat;*

[1] Cf. p. 14. [2] Vit. Claud. c. 40.

orationis elegantiam non desideres, sed orator tam multa miscet a causa plane aliena, per tot ambages repit, ut vel servilem senatorum suorum patientiam fatiget. Quapropter, etiamsi aliunde auctorem orationis nesciremus, germanum Claudianae doctrinae specimen facile agnosceremus[1].

Itaque Tacitus neque rationem loquendi neque dispositionem orationis genuinae retinuit, quod cur fecerit, supra fusius diximus. Etsi imperatoris studio antiquitatis utitur, ut moneat, quisnam revera verba illa fecerit, tamen oratio, insigne artis specimen, a reliquis annalium partibus minime distat. Quam quidem congruentiam inserenda ipsa Claudii oratione omnino dissoluturus fuisset; sed Tacitus vel plus de suo adiecit ad corrigendam Claudii imbecillitatem.

Iam enim ad argumentum ipsum in utraque oratione tractatum transeamus. Ac primo quidem obtutu ambas apparet, quamquam in singulis diversas, tamen in universum easdem continere sententias. Utriusque orationis summa haec est, ut patribus demonstretur primoribus Galliae comatae optimo iure civitatem dari debere, id quod et Claudius et Tacitus exemplis ex historia petitis tueri student. Singula persequi nihil valet. Causae, quas Tacitus profert, graviores sunt, quam ut non persuadeant. Claudii quoque argumenta idonea sunt, quae, quod voluit, efficiant. Sed eorum auctoritatem imminuit loquacitas imperatoris et parum aptus sententiarum ordo, quod in proximis cognoscemus. Ceterum non modo sententiae primariae orationis Taciteae eaedem sunt atque orationis in tabula Lugdunensi servatae, sed uno loco in eadem

[1] p. 19.

sentententia etiam eadem verba ab utroque adhibentur. Conferas Claud. or. col. II, v. 23 sqq. *Tot ecce insignes iuvenes, quot intueor, non magis sunt paenitendi senatores, quam paenitet Persicum, nobilissimum virum, amicum meum, inter imagines maiorum suorum Allobrogici nomen legere* et Tac. l. c. *Num paenitet Balbos ex Hispania nec minus insignes viros e Gallia Narbonensi transivisse?* Haec res argumento est Tacitum in componenda sua oratione genuinam ante oculos habuisse. Tacitus autem, quamquam sententias primarias magna ex parte retinuit, ordinem tamen earum prorsus neglexit; deinde nonnulla, quae ad rem non pertinent, omnino praeteriit, alia, quae imperator nimis fuse et verbose exposuerat, magis concise reddidit. Denique non modo sententias quasdam, quas Claudius cursim tetigerat, amplioribus verbis explanavit, verum etiam nonnullas prorsus novas in orationem suam intulit. Qua tamen ratione fidem historicam ab eo violatam non esse persuasum habebimus, si, quid in fingenda oratione servaverit, quid mutaverit, quid omiserit, quid adiecerit, accurate scrutati erimus.

Tacitus omnes illas sententias, quae vere ad argumentum spectant, retinuit, quas singulas afferre supervacaneum ducimus, quoniam supra in exponendo utriusque orationis argumento accuratius ea de re locuti sumus. Ordinem autem sententiarum non servavit; nam cum Claudius sub finem demum, quid velit, significet his verbis: *Tempus est iam, Ti. Caesar Germanice, detegere te patribus conscriptis, quo tendat oratio tua; iam enim ad extremos fines Galliae Narbonensis venisti,* Tacitus imperatorem statim ab initio, cur loquatur, significantem facit dicens: *Maiores mei, quorum . . .*

transferendo huc, quod usquam egregium fuerit. In ipso deinde initio orationis suae Tacitus Claudium Clausi proavi perbene mentionem facientem inducit, cum Claudius eum in illa demum parte nominasse videtur, qua de civitate singulis data agit. Veri enim simillimum est eam sententiam historicum Romanum non de suo addidisse, sed in deperdita parte Claudianae orationis invenisse. Claudius enim, utpote qui historiae antiquae studiosissimus esset, etiam maiorum suorum mentionem facere amabat[1]. Nam quod Hakerus[2] aliique suspicati sunt, Clausum, proavum Sabinum, iam in prooemio nunc mutilato ab imperatore nominatum fuisse, id compositione orationis supra a nobis fusius exposita refelli videtur. Porro quae in genuina principis oratione dicuntur: *Equidem ... deprecor, re ... exhorrescatis, sed ... diducta sit,* quibus novitatis scrupulus patribus conscriptis adimatur, ea in Tacitea oratione sub finem demum posita sunt his verbis: *Omnia, patres conscripti, quae nunc vetustissima creduntur, nova fuere. Inveterascet hoc quoque; et quod hodie exemplis tuemur, inter exempla erit.*

Contra senatorum e peregrinis delectorum exempla, quae Tacitus in priore orationis suae parte proponit: *Neque enim ignoro Iulios Alba ..., ut ... coalescerent,* in tabulae Lugdunensis parte posteriore afferuntur, ubi legimus: ... *sane novom [eg]it Divus Aug[ustus av]onc[ulus] meus, et patruus Ti. Caesar omnem florem ubique coloniarum ac municipiorum, bonorum scilicet virorum et locupletium, in hac curia esse voluit.* Denique verbis: *Quid nunc commemorem dictaturae ... sacerdotiorum*

[1] Cf. Tab. Lugd. col. II, v. 2: „Aug[ustus av]onc[ulus] meus et patruus Tiberius.“ [2] p. 16.

quoque? Claudius in illa parte orationis suae usus est, qua tam loquaciter ex historia docet omnibus temporibus aliquid in re publica novatum esse; Tacitus contra breviorem suam sententiam efficacissime in orationis conclusione posuit: *Plebei magistratus post patricios, Latini post plebeios, ceterarum Italiae gentium post Latinos.*

Hac sententiarum mutatione, quam diligentius persequi et longum est et non necessarium, C. Zellius, sicuti supra dixi, adductus est, ut tabulam, quae priorem locum obtinet, in loco posteriore et alteram in priore poneret[1]. Idem iam sex annis ante Niebuhrius suspicatus erat. Quod propter condicionem tabulae nullo modo fieri potest. Neque magis intellegere et cogitatione comprehendere possum, quibus causis eidem viri doctissimi commoti sint, ut ea, quae de Claudii oratione nunc supersunt, vix dimidiam aut quartam partem totius orationis esse censerent. Nam cum tabula, ut nunc est, plus quattuor pedes alta et sex lata sit, non deesse nisi tertiam ut plurimum partem eius putaverim. Tabulam autem alteram, quam perisse supra conclusimus, non continuisse nisi senatus consultum, quod Claudii orationem secutum esse scimus, quam maxime probabile est.

Neque vero transpositiones solum Tacitus adhibuit, sed etiam argumentum orationis Claudianae suo consilio adcommodavit. Hoc inde apparet, quod omnes illi loci, quibus Claudius loquaciter de rebus ad propositum nullo modo pertinentibus verba facit, aut prorsus neglecti aut ad minimum modum redacti sunt, velut ex illis de regum origine narrationibus Claudii

[1] Cf. l. c. p. 17.

nihil aliud in Tacitea oratione mansit nisi brevissima haec sententia: *advenae in nos regnaverunt.* Ad exempla virorum e coloniis transalpinis olim in senatum receptorum, quae Claudius a verbis: *Ornatissima ecce colonia* usque ad *nostri ordinis viros non paenitet?* enumerat, apud Tacitum pauca haec verba spectant: *Num paenitet Balbos ex Hispania nec minus insignes viros e Gallia Narbonensi transivisse?* Quod Tacitus breviter refert de exteris inter patricios Romanos adscitis, id Claudium, ut dixi, in deperdita orationis suae parte fusius exposuisse probabile est. Et verbis: *Plebei magistratus post patricios, Latini post plebeios, ceterarum Italiae gentium post Latinos,* Tacitus iterum brevissime longum illum Claudii locum reddit, quo de singulis magistratibus eorumque mutationibus loquitur.

At historicus Romanus omisit etiam, quae inepta vel ad comprobandam rem parum idonea sibi viderentur. Sic quae Claudius de Augusti et Tiberii rationibus supplendi senatus dicit, omnino sunt praetermissa. Item de magistratibus consulum, dictatorum, tribunorum plebis, decemvirorum etc. deinceps Romae institutis et paulatim ad plebeios quoque delatis, quos imperator commemorat, Tacitus prorsus tacet. Illud quoque enuntiatum, quo princeps imperium ultra Oceanum prolatum esse gloriatur: *Iam si narrem bella, a quibus coeperint maiores nostri, et quo processerimus, vereor, ne nimio insolentior esse videar et quaesisse iactationem gloriae prolati imperii ultra Oceanum,* frustra apud illum quaerimus. In altera tabulae Lugdunensis columna Claudius de duobus senatoribus Viennae natis, L. Vestino et Valerio Asiatico, loquitur itidem in Tacitea oratione silentio oppressis.

Quaeramus iam, quae Tacitus augendae probationis causa de suo addidisse videatur. In his illud potissimum numero: *Num paenitet Balbos* etc. Quod quidem exemplum cum omnibus notum esset, Tacitum suspicamur substituisse pro obscuriore illo e colonia Viennensium petito, quo Claudius usus erat utpote sibimet magis familiari. Itaque etiam gravissima quae sequuntur verba haec: *Maneant posteri eorum nec amore in hanc patriam nobis concedunt* ipsius Taciti esse arbitramur. Alia quoque, quae nec in tabula exstant neque in deletis partibus infuisse verisimile est, Tacito tribuenda esse censemus, velut ista: *Quid aliud exitio Lacedaemoniis et Atheniensibus fuit, quamquam armis pollerent, nisi quod victos pro alienigenis arcebant?* et *At conditor nostri Romulus tantum sapientia valuit, ut plerosque populos eodem die hostes, dein cives habuerit*, quae sententiae graviores sane sunt, quam ut ab imperatoris ingenio profectae esse videantur.

Porro in tabula Lugdunensi quaedam sententiae reperiuntur expressae, quae quamquam etiam in Taciti oratione nobis occurrunt, tamen aliam ibi vim habent. Verbis enim Taciti: *Cum specie deductarum per orbem terrae legionum, additis provincialium validissimis, fesso imperio subventum est* adnotante ad h. l. Nipperdeio Augusti quoddam institutum significatur. Is enim legiones in colonias militares, quae dicuntur, deduxit simulque multos provincialium in exercitum et civitatem recepit. At princeps verbis: *Divus Aug[ustus av]onc[ulus] meus et patruus Ti. Caesar . . . esse voluit* lectiones senatus ab Augusto factas respicit, quibus multi senatu moti dignique in eorum locum recepti sunt. Duo deinde enuntiata, unum Taciti: *Ac tamen, si cuncta*

bella recenseas, nullum breviore spatio quam adversus Gallos confectum. Continua inde ac fida pax, alterum Claudii: *In qua si quis hoc intuetur, quod bello per decem annos exercuerunt divom Iulium, idem opponat centum annorum immobilem fidem obsequiumque multis trepidis rebus nostris plusquam expertum,* omnino non inter se congruunt. Nam Tacitus Gallos minus diu quam reliquos hostes Romanis restitisse contendit neglecta fide historica, cum multa externa bella breviore tempore a Romanis confecta sint. Claudius contra multo rectius longum tempus excusat, per quod Galli repugnaverint. Cf. Nipperdei ad Taciti locum commentum. Sed uterque seditionem Iulii Flori et Iulii Sacroviri omittit, quam Tacitus Ann. III, 40 hisce narrat verbis: *Eodem anno Galliarum civitates ob magnitudinem aeris alieni rebellionem coeptavere, cuius exstimulator acerrimus inter Treviros Iulius Florus, apud Haeduos Iulius Sacrovir.* Denique cum ipse Claudius censeat Gallos propter fidem obsequiumque ne tum quidem, cum Romanorum res in periculo esse coepissent, labefactatum maxime idoneos esse, quibus aditus in senatum pateflat, Tacitus eum publici potissimum commoti causa, ut illorum voluntati satisfiat, suadentem facit his verbis: *Iam moribus, artibus, affinitatibus nostris mixti, aurum et opes suas inferant potius quam separati habeant.*

Restant loci, qui utrum ex tabula prompti an ab ipso Tacito additi sint, dubium est. Clausi quidem Claudium mentionem fecisse probabiliter supra statuisse nobis videmur. Sed num etiam de Iuliis, Coruncaniis, Porciis aliisque gentibus paulatim in senatum accitis locutus sit, ad certum redigi non potest. Deinde quae

afferuntur de magistratibus libertinorum filiis iam priore tempore mandatis: *Libertinorum filiis magistratus mandare non, ut plerique falluntur, repens, sed priori populo factitatum est,* ex genuina oratione deprompta esse suspicari possumus, propterea quod Claudius alibi simili modo maiorum exemplis nisus esse traditur. Provoco ad Suetonii locum, qui hoc probare videtur[1]. Postquam narravit Claudium libertini quoque filio latum clavum dedisse ea condicione, ut prius ab equite Romano adoptatus esset, pergit: *Ac sic quoque reprehensionem verens et Appium Claudium Caecum censorem, generis sui proauctorem, libertinorum filios in senatum allegisse docuit* ignarus temporibus Appii et deinceps aliquamdiu „libertinos" dictos non ipsos, qui manu emitterentur, sed ingenuos ex his procreatos.

Cap. IV.

De Taciti ratione invertendi.

Ex hac orationis Taciteae cum genuinae reliquiis comparatione alteram ab altera valde differre perspeximus. Rerum scriptor orationem prorsus commutavit nec plus quam duas voces: *paenitet* et *insignes* transcripsit atque genuinam, quae quamquam mutilata plus octoginta versus complectitur, in brevius contraxit, ita ut oratio annalibus inserta triginta tantum versus expleat. Argumentum quidem et sententias primarias servavit, sed earum ordo non idem est atque in oratione genuina. Non-

[1] Cf. Vit. Claud. c. 24.

nulla transposuit. Quae in Claudii oratione nullius aut parvi momenti ad consilium comprobandum esse cognoverat, omisit aut in breviorem formam coartavit. Quae magis idonea esse sensit, ut rem, de qua ageretur, illustrarent, de suo adiecit. Quae cum ita sint, non omnino cum Rodenwaldtio faciam, qui sic de Taciti oratione indicat[1]: *Res vero ipsas tanta cum fide retentas, ut praeter ineptias quasdam orationis nihil fere omissum, si testimonium e Lacedaemoniorum et Atheniensium historia petitum et parcum quoddam ornamentum oratorium excipias, nihil temere additum videatur.* Multo magis Hakeri opinioni accedo, qui in commentario suo[2] ita scribit: *Ex duarum orationum comparatione hoc certo apparet Tacitum fontem non exscripsisse, sed prorsus libere immutavisse, fidem historicam tantummodo summatim servasse.* Atque in ea re secutus est Tacitus morem sibi traditum. Quodsi historicus Romanus oratione Claudiana ita usus est in componenda sua oratione, pro certo habere possumus eum in aliis quoque orationibus, quae operibus eius intextae sunt, orationes vere habitas, quae praesto erant aut in actis senatus aut in actis divinis aut in titulis aut commentariis Caesarum, eodem modo in opera sua recepisse. Ceteroqui Tacitus Ann. XV, 63 extr., quo loco Senecae mortem describit, ipse indicat se orationes operibus suis haud immutatas inseruisse; nam postquam narravit philosophum, ne dolore suo animam uxoris infringeret neve ipse visendo eius tormenta ad impatientiam delaberetur, abscedere in aliud cubiculum suasisse, pergit: *Et novissimo quoque momento suppeditante eloquentia, advocatis scriptoribus pleraque tradidit, quae in vul-*

[1] p. 14. [2] p. 20.

gus edita eius verbis invertere supersedeo. Quibus ex verbis plane elucet Tacitum consuetudinem historicorum in reddendis orationibus epistulisque omnibus notam posuisse.

Ut extremo de orationibus nostris iudicium feram, genuinam Claudii multo magis nos movere fateor, cum ab homine habita sit, qui omni ardore pro ea re loqueretur, quae sibi maximae curae esset. Contra Taciti orationem, multo maiore arte compositam, etiamsi a quo facta esset, nesciremus, vix unquam esse habitam putaremus. Neque enim dici sed legi eam voluit historicus Romanus.

Vita.

Natus sum Albertus Hertle die III m. Febr. anni saeculi praeterlapsi LXXXII in vico Ulm apud oppidum Lichtenau sito patre Anselmo matre Rufina e gente Burkard. Fidei addictus sum catholicae. Litterarum elementis imbutus frequentavi Gymnasium Rastattense, quod tum Josepho Hermanno Schmalz rectore valde florebat. Maturitatis testimonio instructus m. Oct. a. MCMIV Friburgum me contuli, ut studiis philologicis germanicisque me darem. Autumno anni MCMVII Almam Matrem Heidelbergensem adii, unde post sex menses Friburgum reverti, ubi usque ad finem studiorum mansi.

Exercitationibus seminarii philologici, historici, archaeologici per duos annos sodalis interfui ordinarius. Docuerunt me: de Below, Diehl, Fabricius, Hense, Kluge, Lommatzsch, Puchstein, Rickert, Schmalz, B. Schmidt, Thurneysen, Uebinger Friburgenses; Brandt, de Domaszewski, Dieterich †, de Duhn, Gothein, Schoell, Windelband Heidelbergenses.

Quibus omnibus viris doctis gratiam habeo maximam, imprimis autem Bernhardo Schmidt, quippe qui non solum huic opusculo non mediocriter faverit, sed etiam dux adiutorque mihi esse nunquam desierit viam ingresso ad litterarum studia exercenda non minus utilem quam difficilem.